

† R. P. Cornelius Hunt (1865–1938)

(*Prov. Hibern.*)



P. Cornelius Hunt in oppido Atheaensi, comitatus Limericiensis, d. 24 Apr. 1865 natus est. Eius parentes, catholici devoti, feliciter id egerunt ut puer ad inserviendum Missae in ecclesia illius loci eligeretur. Ita Cornelius venit in notitiam sacerdotis Green, qui effecit, ut acolythus noster, quindecim annos natus, ad collegium *Mungret* mitteretur. In hoc collegio, quod a Patribus Societatis Iesu in dioecesi Limericiensi dirigitur, futurus Redemptorista sex annos mansit, annos quidem summi momenti ad mores formandos. Etiam philosophiae tho-

misticae ibi studuit atque a. 1886 Baccalaureatum Artium assecutus est. Postea in novitiatum nostrae Congregationis ingressus et d. 15 Oct. 1887 vota professus est. Presbyter a. 1890 ordinatus est.

Post ordinationem Pater Hunt duos annos ut missionarius in Hibernia laboravit, et nondum annum vicesimum octavum compleverat, cum a Superioribus electus est ut in longinqua Australia operam apostolatus difficillimam inter missionarios veteranos perferret. A. 1899 ad domum nostram civitatis Perth missus est eidemque anno subsequenti Superior praepositus. A. 1902 coepit ibi pulcherrimum amplissimumque collegium nostrum aedificare atque etiam illam novae ecclesiae partem, quae navis dicitur. Mansit in civitate Perthensi usque ad a. 1907.

Inde ex hoc anno usque ad a. 1912 Pater Hunt, habens nullum aliud officium, omnino occupatus erat in opere, quod ipse maxime amabat, in animabus ope missionum salvandis. De opera eius apostolica quidam confrater, qui eum optime cognitum habebat, scripsit sequentia: «Pater Hunt ut missionarius nomine praeclaro gaudebat, atque multi parochi eum ad missiones praedicandas habere cupiebant. In instructionibus et contionibus argumentativis, quae vocantur, maxime eminebat. Praeditus erat rara in doctrinis exponendis facilitate, quae indubitate erat effectus clarae cogitationis et ingenii in Sacra Scriptura adhibenda valentis. Dicitur circa tria milia acatholicorum contionibus et instructionibus suis ad fidem adduxisse. Quotquot eius missionibus intererant, vi ratiocinandi atque zelo eius permovebantur. Opus bonum in pulpito inceptum perficiebat in sacro tribunali, ubi caritate benigna permultos ad Cor Iesu dulcissimum ducebat».

R. P. Hunt, a. 1912 domus Ballarat Rector nominatus, hoc officio functus est usque ad a. 1918. Intra hos annos ecclesiam ibi pulcherrimam aedificavit atque fenestris e vitro variis coloribus tincto ornavit. Translatus est a. 1919 Novumcastrum (*Newcastle*), ut in domo nostra suburbii Waratah esset Rector, sed anno sequenti in Hiberniam rediit ibique in missionibus et secessibus dandis laborare perrexit usque ad a. 1938, annum suae mortis.

Et Superior et subditus P. Hunt Regulam nostram fidelissime observabat. Quamvis sibi esset austerus, aliis tamen erat benignus et patientiae plenus. Non erat sui amator, sed generose de aliorum felicitate gaudebat, ac semper erat paratus auxilium necessarium vel utile aliis praestare. In eo cum evangelica simplicitate vigor virilis coniunctus erat. Habebat illas virtutes, quas in milite forti omnes admirantur, quae sine dubio in P. Hunt oriebantur ex illa disciplina egregia, quam in iuventute sub moderamine filiorum S. Ignatii acceperat. Quamvis Congregationem nostram, cui se integre devoverat, maxime amaret, tamen poterat omnia animo vere catholico considerare. Catholicae Ecclesiae erat filius genuinus: eventibus eius felicibus gaudebat; persecutiones in eam motas detestabatur.

Iubilaeum aureum professionis d. 15 Oct. 1937 Dublini celebravit<sup>1</sup>, et exacto anno, d. 31 Oct. 1938, placide in Domino exspiravit. Priusquam autem moreretur, multa passus est. Nihil cibi vel potus in stomacho poterat retinere; atvero crux eius gravissima probabiliter erat amissio visus; natura enim erat homo activus, avide lectioni et operae deditus, atque amissio oculorum visu difficile ei erat temporis vacuitatem implere. Tamen per omnia erat placidus. Quidam dixit eum esse similem rupi in mari, quae inter aquas turbulentissimas manet immobilis.

Sic vixit et sic mortuus est optimus P. Hunt. Semper erat amator Congregationis, servus fidelis Ecclesiae, plenus fide, spe et caritate, meritis Iesu Christi confidens atque intercessionem Beatae Mariae de Perpetuo Suc-

<sup>1</sup> *Analecta* 1938, p. 29.

cursu se totum committens; atque e vita excessit sperans se coronam illam genuini Redemptoristae praeclarissimam, quam S. P. N. Alfonsus olim viderat, consecuturum esse. R. I. P.

---